

V c
5236

h.



h. 4147.

Vc
5236

THRENI SAXONICI
 OB OBITUM
 SERENISSIMI, POTENTISSIMIQUE PRINCIPIS
 AC DOMINI,
 DOMINI
 JOHANNIS GEOR-
 GII TERTII,
 SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
 ET MONTIUM, NEC NON ANGRIÆ
 ET VVESTPHALIÆ DUCIS,
 SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-
 MARSCHALLI, ET
 ELECTORIS, &c. &c.

DOMINI SUI NUPER CLEMENTISSIMI,

DEFLETI

F. M. de B.



DRESDÆ,
STANNO RIEDELIANO.



10





PRINCIPIS ATQUE REGIS AULAS, ET
PAUPERIS ÆDES: ÆQUO MORS
PEDE PULSAT.





* * *

Uget Aula,
mœret Caula,
lamentatur Saxonia,
ingemescit Germania,
in planctum ubivis vocantur genæ.

IN AULA

Aulœdi cessant, permutantur Aulæa,
& quæ argenteo colore visum disgregabant,
oculosque splendentibus fucis distrahebant,
atrata[m] sustinent *metamorphosin*.

Quorum

denigratæ species à pupilla transmissæ,
in retiformi tunicula depingentes dolorem,

Palpebras niçant,
organum contrahunt,
hirquos comprimunt,
lachrymas exprimunt,

&

Quæ ostrô superbiebant :

annalem patiuntur ostracismum.

Peristromata, Picturæ, Trabæa subducuntur,

Quæquæ

Splendore refulgent,

fulgore splendent:

nitore candent,

candore nitent:

Lugubribus prætensis Peripetasmatis,

langvescunt,

obvelantur,

nigrescunt,

obfuscantur.

ET
RS

IN CAULA

cessat Opunculo,
suspirat Opilio,
gemit Tympanotriba,
Pæanis succedunt Threna,
Dirhyrambi vertuntur in Epiodia,
Epithalamia desinunt in Nænias,
Ipsa Terræ facies languidas obducit rugas,
& quæ ridere solebant Prata, spoliatò vegetationis oleò,
marcescunt ut arefcant.

IN SAXONIA

Nobiles incedunt Melis,
Urbici obambulant lugubribus,
Coloni apparent morosi.
Campanæ Triste reboant,
Organa cessant,
Tympana silent,
Tubæ ne quidem raucum edunt stridorem.
Fistula, Pandura, Cithara circumvolutis chordis sus-
penduntur,
& si harmoniacum quid audiatur:
Mortuale est, & Morticinium.

IN GERMANIA.

Imperator Augustus,
Principes Electores,
Duces & Dynastæ,
Depositis coccineis & Murice rubentibus Phaleris:
Pullò amiciuntur vestitu,
melaneis contenti Levidensis.
Luget Aula,
mæret Caula,
lamentatur Saxonia,
ingemiscit Germania.

Sed quisquis es:

Catholicum ne mirare Luctum,
nec ad plusquam Ægypti planctum obstupescere.

Perdi-

Perdidit etenim,
AULA PRINCIPEM,
CAULA PASTOREM,
SAXONIA PATREM,
GERMANIA ELECTOREM,

&

in media vita,

Iohannes Georg IVs tert IVs, ELector & DVX saXonlæ
Morte eXII.

O nuntium perluctuosum! O infandum Effatum!

Qui Martis esse voluit
cum Morte Mundo exire debuit

Pater mi, Pater mi, currus Saxoniae & Auriga ejus.

Cur nos relinquis orphanos?

Cur nos repudias Pupillos?

Cur nos sine solamine desolas?

Defecit Gaudium cordis nostri:

cecidit corona Capitis nostri:

Gentium Domina Saxoniam facta est Vidua.

Quisquis es:

Te plangere æquum est, nisi sis iniquus.

Plange Saxo, aut Saxeus es.

Luge Inquiline, aut inquinatus es.

Querere tanto sub Duce meritis Miles, aut immeritus es.

Mors dira apprehendit nos inter angustias,

Serenissimò huic Stemmati,

Atavis Regibus editò,

infensa,

succensa

Lethifera.

Ante aliquot dies

Fredericum exanimaverat,

Christianum enecaverat;

Addidit & hoc

ut idem fatale Missile

in primum immitteret Primatem:

optimumque interficeret Optimatem.

X 3

Et

Et ne sola *Ernestina* mortis terminis concluderetur Linea
duo *Albertinae* expunxit puncta,
ut earum origine eundem derivante sanguinem,
eodem ferè tempore Rivi fierent exsangves.

In hoc

Truculenta Mors quondam *Kauffungo* atrocior
Quod Hic aliquando duos Juniores iuffuraretur:
Illa tres simul raptitaret Seniores Principes Posteris,
numquam restituendos.

O Vidua Saxonia, heu Terra desolata:
Quam pateris immania, quam dura subis Fata?
Sidera tua obscurantur,
obnubilatur *Cynosura*.

Sed quod maxime dolemus

Quod interpositâ Animæ & Corporis dissolutâ unione
Sol tuus

Æviternam, usque dum Sol stabit æthereus,
Spirituum sustentaturus deliquium,
patietur Eclipsin.

Hic Sol tuus

dum aliquando in Hemisphærio nostro oriretur,
in Saxoniae Meridiano lucesseret,
Romanorum Imperio Unicus à Sole unico indicaretur:
Patria ovabat,
Aula jubilabat,
Incolæ plaudebant,
Exteri congratulabantur,
Genethlia celeberrimè celebrabantur:
Genialis feriebatur dies,

eo quod tunc

Iohannes georgIVs pRINCEps saXonIæ eLeCtorALIs
FILIVs VnICV's

patri, patriæ & nobis à DEO è CœLIs

DatVs esset.

Tam

DEO datO *Flagello*,
Germanorum *Attilæ*,

No-

Nobilium Hæridicapæ
Gallorum Regi opponendus,
Quam
Cœlestis Inimici, Turcarum *Mahometis*
inundanti furori
Cataracta obyciendus.
Idque verò eventu.
Dum enim quod
Galliæ Ministriffimi
Richeleius olim conceperat,
Mazarinus jam dudum proposuerat,
Rex illorum in actum ducere pararat:
per fasque nefasque
Regni sui *Phylacteria* intenderet dilatare:
Rhenum, Domini sui conterminum, Ejusdem determi-
naret *Terminum*:
ipsamque *Aquilam* positò in Visceribus Ejus
Armorum Diribitoriò
deplumare primò, deinde eviscerare decerneret:
hocce Gallicinium abscissâ Galli Cristâ, demptâque
Paleâ compesceret:
hasque *PLUS ULTRA* Columnas, *plus retrò*
retunderet,
retufas remoraretur,
remoratarum tam Coronas, quam Stylobatas,
ut luteas elideret,
Ipssissimus hîc Princeps
tunc apparuit, ut tanquam
DeCVs saXonlæ & tVtaMen Libertatis
inæstimabilem Libertatem vendicando:
Imperium vindicaret.
Et quia tunc
nulla salus erat sine ferro sperare salutem:
Ferrum *bracchiò extentò* tantâ strinxit fortitudine,
Machæram dextrâ fortitantâ vibravit dexteritate,
cuncta rerum aspernatus discrimina,

Ut
 non ex ungue Leonem ;
 sed
 ex Leoninis facinoribus jam Imperatorem arguisses
 &
 vel Illum ex Majoribus *Henricis & Ottonibus*,
 vel Hos ex Illo,
 demonstratis ægregiis Præactis conclusisses.
 Illorum semper secutus Symbolum:
Aut Mors, aut Vita Decora
 Donec
 pactâ quamvis non diu duraturâ Pace,
 caneretur receptui,
 &
 In Patriam, Patriæ Desiderium, Patrimus Pater
 se reciperet,
 ut Patriæ Decus & Tutamen viveret,
 usque ad emortualem Serenissimi Patris diem.
 Dum autem
 obisset rarâ Virtute Nobilibus Iste DVX Pater & CoMpater
 Suscepto ubique Homagiô
 Potentissimus Dux noster
 ad Rerum Gubernaculum in Negotiorum Puppi residens
 Rebus moderaretur
 ad Subditorum Votum, ut Subditorum Delicium, guber-
 naret:
 Quamvis indueret Togam, Sagum non despexit,
 Paludamentum venerabatur:
 Tempore Pacis cogitans quæ Belli sunt:
 semper magis Promus, quam Condus
 Phalanges servabat,
 Strategos amabat,
 Milites animabat, (tabat.
 Armamentaria Armis, Depositoria omni Penu locuple-
 Sedulo vigilans;
 ne dum Fures Imperium perfringere pararent,
 Inparatus inveniretur:
 aut in proprium Territorium, irrumpere tentarent,
 accusaretur improvidus.

Nec

Nec providum fefellit eventus animum.

Nam dum paulo post

TVrCA IMperator Detestabilis Viennæ AVstrlæqVe
rVInIs Instaret:

præstò adfuit, Illi obfuit,
Sangvineas spirantem minas,
Christicolarum anhelantem cœdes,
Sanctorum sitientem sangvinem,
Sangvine propriò satiavit,
Superbiæ soliò deturbavit
Primus in Hostes irruit,
Fugaces fugavit.

Sed quia

ex adverſa Patriæ parte

Proximus ardebat *Ucalegon*.

Incendiariorum Flamma & oculos & vires distrahebat:
non fatis erat unum evaginasse gladium,

ecce enim duo gladii hîc desiderabantur.

Alterum igitur ex Archi-Mareschalli Promptuario
depromsit.

ut Perfidiam ad vomitum redientis Galli puniret
pœnas, & cum pœna.

Fraudulenter invasa,

injustè occupata,

violenter possessa,

repeteret,

recuperaret,

restitueret.

Nec destitit:

Donec MogVntla exTero sVo Liberata IVgo resti-
tVeretVr.

Sed nondum statim finis.

Prosequendum erat contra Persequendum

nec desistendum contra non Desistentem

Quod tantâ Animi Promptitudine Dux noster verè
Magnus

profecu-

profecutus est: ut si aliquod comiserit peccatum
ipsa Promptitudo peccatum fuit.

Animò semper infractus
donec vires hac fatali æstate inciperent frangi.
Sed sciens *Imperatorem* stando mori oportere:

constanter constitit in Stativis
& quæ Castra duxit, eadem est secutus.
Aliorum salutem curans, propriam neglexit,
indeflexò in patheticum *Imperium* Zelò
pertinaciter sub Armis sudavit,

usque dum eheu

Cancro Illi vitam demere, cui dederat, renuente
Leone Ferarum Domitorem metuente,

Virgine Paranymphe jacturam horrente,

Sole tandem in instabilem ingrediente *Libram*
æqvalem Nocti per Univerſum statuente Diem,

Horâ ab Ortutertiâ,

ne meridionalem lineam pertransiret,

Zygoſtatam officiante Morte

Quidquid Corpori adhuc inerat sanitatis

Libræ impositum Bilanci

inventum sit minus habens.

Infirmittatis Sacomate ad Occalum Vitæ per aginam
declinante

Vitæq; Scapò à *Parallelismo* dimotò,

beatam ad Superos depressit Animam:

& expressit.

Æquò pede omnia pulsante Morte

tandem in *Æquinoctio* solvitur *Æquilibrium*

quod cum Materia quadraginta quatuor annos

solùm forma servarat

&

Diva Anima divinum Centrum repetens

de corpore Mortis hujus liberatur:

Vitæque mortalis operi, placidus & sanctus Finis

visionis beatificæ imponit *Coronam*.

Finis

Finis vere Ipsi benedictus, Nobis inauspicatus.

Quia

Patria orbatur Patre,
Pupilli amittunt Tutorem,
Inquilini perdunt Protectorem,
Pauperes privantur Benefactore,
Servi destituuntur Herò,
Militibus Magnus occidit Imperator.

*Lugeat igitur Aula,
mœreat Caula,
lamentetur Saxonia,
gemat Germania.*

Lugubremus omnes:

Collachrymemus cum Regia Illa quondam hujus Ma-
gni Principis
Conthorali

Virtutum omnium Speculo,
Cornucopiarum Cunctorum, quæ præstant, reposito.rio.
Congemamus cum Prole Regia,
cum duobus Belli Fulminibus
cum Inclytæ Saxoniae Spei Anchora,
Serenissimo Duce Friderico.

Consolari enim nolunt quia non est amplius.

In hoc majori nobis dolore afflictantur:
quo propius est objectum quod affligit.

In hoc majori mœstitiâ angariantur:

quo magis attinet causa Angoris.

In hoc magis nostrâ respectuosâ compassione suppor-
quod luctu opprimantur & nesciant dedolere:

Nos autem solùm premamur, & solamine refocillemur.

Quia

Post nubila Phœbus,

Post tristia Serenator,

Post obscura Lucifer

*Horizontem nostrum inradiat,
& pluviosam transparet Lachrymarum nubem.*

Nam

Finis

FR 96 5236

Nam
Iohannes georgIVs qVartVs
neo prInCeps eLeCtor saXonlæ & arChIMarsChaL-
LVs nVnC regIt:

Patri succenturiatus.

Qui virtutum omnium
in Genere:

&
Mansuetudinis,
Prudentiæ,
Fortitudinis,
Vigilantiæ,
Magnanimitatis,
Constantiæ,

& earum quæ Principem ornant perfectionum
in specie:

Pace, Bellô, Domi, Foris
jam tum talia dedit specimina:
ut ea Orbi velle monstrare cum sint illustria, esset adulari,
ea velle promulgare cum sint manifesta, assentari esset.

Id sufficiat Nobis

Ipsi
Regnum prosperum, longævum, augustum ad precari:
Progeniem numerosiorem adoptare.

Ergo desistamus:
nec ultra tam vehementibus defluamur Lachrymis.
*Non enim à superis vocatum, amplius revocare possumus
magis properabimus ad Eum, Ille verò non revertetur
ad Nos.*

Quia tamen parentamus:
Licet dolor possit mitigari,
vetitum attamen non est,
nostrô debitô id postulante,
nostrâ Naturâ id suggerente;
post fletum
adhuc
Singultire.

os(t)so

HL

1077

ChaL-

Colla
L.

ulari,
effet.

ecari:

mis.
tumus
etur

ULB Halle
004 820 800

3





IN CAULA

cessat Opunculo,
fufpirat Opilio,

Pa
Dirhy
Epith
Ipfa Terra
& quæ ridere sole
ma

Nobi
Urbis
Colo
Campanæ T
Organa ces
Tympana f
Tubæ ne q
Fiftula, Pandur

& fi h
Mort
I
Depofitis cocc
Pi
mela
L
W
L

ingemifcit Germania.

Sed quisquis es:

Catholicum ne mirare Luctum,
nec ad plusquam Ægypti planctum obftupescere.
Perdi-

